

Vc  
4899

6.2

J  
E  
C  
D

Vc  
4899

6.2.8.

PANEGYRICUS,  
<sup>2VO</sup>  
SERENISSIMO POTENTISSIMO QVE PRINCIPI  
AC DOMINO  
DOMINO  
JOHANNI GEORGIO  
SECUNDO,  
DUCI SAXONIAE, JULIAE,  
CLIVIAE ET MONTIUM, SACRI ROMANI  
IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI,  
LANDGRAVIO THURINGIAE, MARCHIONI MISNIAE,  
NEC NON UTRIUSQUE LUSATIAE, BURGGRAVIO MAGDE-  
BURGENSI, COMITI IN MARCA ET RAVENSBURGO,  
DOMINO IN RAVENSTEIN,  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,  
SUB  
NOVI PRINCIPATUS AUSPICIIS  
SUMMUM VERE QVE SINGULARISSIMUM  
ELECTORATUS SAXONICI  
ORNAMENTUM,  
RELIGIONEM NEMPE CHRISTIANAM, ILLAMQVE  
INTEGRAM AC ILLIBATAM,  
SOLEMNITER  
EX  
ANIMO DEVOTO HUMILLIMO QVE,  
DIE LOCO QVE PUBLICE INTIMATIS  
GRATULATUS EST  
DANIEL HEINRICI, S.S.Th.D. Et P.P.  
EJUSDEMQVE FACULTATIS HOC TEMPORE  
DECANUS.

LIPSIAE,  
Typis & Impensis JOHANNIS VVITTIGAU.

M DC LVII.





**J**OHNES GEORGIUS PRIMUS,  
cui debitas hesterna die adornavimus exequias, vivit ad-  
huc, non mortuus est. PRÆFECTUS SACRI ROMA-  
NI IMPERII PRÆTORIO ET ELECTORUM SE-  
NIOR vitam cum morte commutavit, sed caducam sal-  
tem & fragilem, non æternam illam & semper manen-  
tem, in quam felici & persalutari occasu transivit. DUCUM AC PRIN-  
CIPUM SAXONIAE OPTIMUM MAXIMUM marasmus senilis vel tan-  
dem sub pedibus dedit, &, ut Poëtæ veteris verbo dicam, evitavit, qui tam  
præclarè meritus de universo orbe Christiano, & sua divina virtute dignus  
videbatur, uti perpetuò viveret. Mortem equidem DEFENSORIS NO-  
STRI POTENTISSIMI ATQUE NUTRITII BENIGNISSIMI rubicun-  
dis oculis & non sine quodam doloris sensu deploravimus, dotes autem in-  
comparabiles, & illa nullis unquam laudibus deprædicanda satis merita,  
quibus universam rem publicam Christianam, Electoratum totum, & cum  
primis Universitatem hanc verè Lutheranam sibi obstrinxit, gratâ com-  
memoratione propagare ad posteros, & ab oblivione vindicare, quacunq; ra-  
tione poterimus, nullo non tempore contendemus. Neque enim aut ma-  
jor aut verior honor exhiberi mortuis potest, quâm qui in admiratione vir-  
tutum ac meritorum positus, quæ in omnem vitam deinceps præclara ex-  
empla dividant. Unde etiam Tullius dixit, vitam mortuorum in memoriâ  
vivorum positam esse. Non parum vitæ ex eucharistiæ vivacissimæ usu mo-  
ribundis accedere, nemo vivorum est, qui eat negatum. Quare jam olim  
Punica Ecclesia, teste Augustinô, coenam Dominicam vitam appellavit,  
sicuti viaticum (*δεσποτικὸν ἐφόδιον ζωῆς αἰώνια*) vitæ æternæ Synodus Ni-  
cena, quia si quis illo fruitur in viâ, pervenit ad vitam, quam in se habet, se-  
cundum Paschafii interpretationem. Eadem de causa in precibus Græco-  
rum corpus & sanguis Domini arrha seu pignus (*ἀρράβων τῆς ζωῆς αἰώνια*)  
vitæ æternæ dicitur. PATRI PATRIÆ DESIDERATISSIMO ut nihil  
defuit, quod cum immortalem posset efficere, ita, qvum ille videret, ap-  
propinquare sibi suprema, accessito confessionariô, & exomologesi in verâ  
fide facta, sacram Domini Coenam summâ devotione animi participavit.  
Non enim fuit nescius, eam, Ignatii verbis, esse remedium immortalitatis,  
& medicinam adversus mortem, proficuum ad fidem in Deo per Jesum  
Christum, qui ipsa vita est. Quemadmodum enim, (non mea, sed divi Ire-  
næi hæc est similitudo) qui è terrâ est panis, percipiens vocationem Dei, jam  
non est communis panis, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrenâ  
& cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam non sunt corru-  
ptibilia, utpote spem resurrectionis habentia. Qui moritur, antequam  
moritur, non moritur, quando moritur. ELECTOR ILLE BEATIS-  
SIMUS peccato non semel mortuus est, & quando mortuus, non mortuus,  
sed, ut Christiano loquamur more, obdormivit saltem. Certus, non pe-  
nitus

nitus se in nihilum redigi, sed renovari interitu, & moriendo in veram vitam transmigrare. Non nudius tertius est, cum Ambrosius, vir efficace linguae facundia, magnoque rerum usu & exactae prudentiae praesidiis instructus, quæsiverit, utrum aliquis sit post mortem sensus, an nullus? Si est, vivit? immo, quia est, vita jam fruitur æterna. Quomodo enim non habet sensum, cuius anima vivit & viget, remeabit ad corpus, & faciet illud, cum refusa fuerit, reviviscere? Clamat Apostolus: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Nam si credimus, quod Jesus mortuus est, & surrexit: ita & Deus illos, qui obdormierunt per Jesum, adducet cum eō. Manet ergo eorum vita, quos manet resurrectio. Qvod si gentes, qui spem resurrectionis non habent, hoc uno se consolantur, quod dicunt, quod nullus post mortem sensus sit defunctorum, ac per hoc nullus remaneat sensus doloris: quantò magis nos consolationem recipere debemus, quia mors metuenda non sit, eò quod finis sit peccatorum: vita autem desperanda non sit, quæ resurrectione reparatur?

*Post finem sine fine manet mens dedita Christo,  
Linguens turbam hominum stat sociata Deo.*

Quem corpore non valemus, recordatione teneamus. Et cum quo loqui non possumus, de eo loqui nunquam desinamus, aurea est Hieronymi admonitio ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani. ELECTORISSA SERENISSIMA, vidua moestissima, Domina nostra clementissima, gaudium suum ac decus post Deum unicum corpore quidem amisit, recordatione autem tenet in perpetuum. Et cum quo loqui non potest, de eo loqui nunquam desinet. Vivit, & dum vivet, vivet in ipsius animo illustrissimo, vivet in ore, cum quo quinquaginta fermè annos integros summa conjunctio- ne animi sanctissimè suavissimèque vixit. Cùm Episcopus ille Mediolanensis orationem in morte Theodosii Imperatoris, in celebritate quadragesimi diei obitus sui, Honorio principe filio ejus assistente, haberet, quotquot gravi mœrore dejecti ad terram casum illum infelicissimum insolabiliter lugebant, hisce erigebat verbis: Tantus imperator recessit à nobis, sed non totus recessit. Reliquit enim nobis liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum & cernimus & tenemus. MAGNUS ILLE ELECTOR, qui sacra vicis imperatoriaæ magno cum totius Imperii Romani applausu ac incremento non semel sarta tectaque conservavit, recessit à nobis, sed non totus recessit. Reliquit enim nobis filios suos illustrissimos, fratres quatuor Germanos & coniunctissimos, in quibus eum debemus agnoscere. Reliquit, inquam, nobis excellentissimum Electoratus Saxonici Successorem, JOHANNEM GEORGIUM, ejus nominis SECUNDUM, Dominum & Electorem nostrum clementissimum, in quo eum agnoscimus, cernimus & tenemus. Reliquit nobis nepotes eminentissimos, amores Patriæ atque delitia, in quibus eum cernimus. Reliquit nobis Johannem Georgium III. optimæ spei Principem & Electoralis Axiomatis hæredem, in quo eum tenemus. Inter ea, quæ Imperatoribus ac Ducibus, sub auspiciis regiminis, ethnici pariter atque Christiani jam olim appreocabantur, vel primum vita prolixa, Tertulliani

ver-



verbis, videtur annumeranda. ELECTORI NOSTRO HODIERNO ut hocce tempore eamus gratulatum, non tantum summum Dei mandatum, humillimaque erga Principem devotio, sed ipsissima nostra salus à nobis, Auditores, exigit. Non aliâ autem gratulatione animi nostri lætitiam ostendemus, quâm quæ pro ELECTORIS vita, vita prolixa, vita quieta, vita Christiana concipitur. Vita Christiana dico non ficta & imperita, sed vera & erudita, quæ Zelum habet secundum scientiam Scripturarum, quas qui ignorat, etiam Christum, Christianorum Deum, ignorat. O ter felicem Principatum, qui talem habet Principem! Quippe ut Christi nutu regitur, ita ejusdem favore tutus est. O ter felices nos, Auditores, quibus vita, quam ELECTORI gratulabundi in præsentia vovemus, vitam eandem, id est, prolixam, quietam & Christianam non tam promittit, quâm exhibet statim! Vita namque Principum, ipsa subditorum vita est. Nec dubium est ullum, eam talem in posterum ab utraque parte extituram, quam & exoptamus & speramus, si Deus summum & verè singularissimum Electoratus Saxonici ornamentum, Christianam nempe religionem integrum illibatamque conservaverit. Sicuti enim illis, qui regnum Dei, & iustitiam ejus querunt, omnia reliqua, tanquam corollaria, adjiciuntur; ita quicquid boni in vita humana potest expeti, si non ad votum, tamen in Christianum commodum, sequitur vitam Christianam. Dignum proinde argumenti genus, de quo facienda mihi verba existimem. Adumbratus magis, quod credam, quâm expressurus, quod sentiam. Vos, Auditores, quotquot ex utraque Republicâ ad demonstrandam erga ELECTOREM devotionem, huc confluxistis, mihi dicenti pium ac memorem juxta, & studiosum atque attentum animum vel per semihoræ curriculum dabitis.

Quicquid in Principe Germano, Duce Saxonico, & Electore Optimo Maximo admiratione ac laude dignum est, id omne JOHANNI GEORGIO SECUNDO, DUCI SAXONIÆ ET ELECTORI DEI GRATIA SERENISSIMO, DOMINO NOSTRO BENIGNISSIMO, sub auspiciis novi Principatus, & possumus & debemus ex animo devoto gratulari. Vetus Germanorum laus est, quâ in ipso theatro Romano à populo gentium victore magi sunt, nullos mortaliū, aut armis aut fide supra eos esse. Quam non integrum solùm illibatamque servavit hactenus pervetusta Saxonum gens, verùm in tantum auxit quoque, ut nullus usquam populus, nulla gens, quæcunque tandem illa sit, per universam Europam, nec mentiar, si dixeris, totum orbem terrarum, nec belli nec pacis artibus contendenda cum eâ esse videatur. Unde etiam factum, ut qui ex familia Saxonum illustrissima, præprimis VVittichindea, originem traxerunt, inter Principes eminuerint, qui à numero Septemviri, vel, juxta Transactionem Osnabrugensem, Octoviri, & ab officio Electores dicuntur. Non verba, sed tempus me deficeret, si Electores Saxonæ verè Germanos, vel obiter saltem vellem recensere. Quos tamen in præsentiarum ( sit venia verbo barbaro ) hoc lumbentior nunc silentio involvo, quò plures in programmate publico, orationem hanc indicente, producti fuerunt in medium. In tantum propter singulari-

gularem sapientiam, Fridericus Tertius, constantiam Johannes, rebusq; in adversis singularem tolerantiam, Johannes Fridericus Primus, magnanimitatem, Mauritus, pietatem, Augustus, prudentiam, Christianus Primus, & liberalitatem, illius nominis Secundus, laudati sunt, in quantum se divinæ & verè Electorales virtutes exserere possunt. Silonius à secretis quondam Armandi, Johannis Plessæi Cardinalis & Ducis Rischelii, discursu septimo, partis secundæ, Ministri status, equidem Electores à fide infucatâ commendatissimos, Mauritium & Johannem Georgium I. fraudis ac fallaciæ, vel artis circumveniendi, quamille per transactionem Passaviensem, hic Pragensem, in Reges Galliarum commiserit, conatur insimulare. Qvam tamen maculam immetitam verbis non tam meis, qvam ipsorum Pontificum, Friderici Forneri & Caroli de Carafa possem eluere, nisi ea, dimidiā partem in programmata allegata, ex hesterna oratione funebri aures vestras memores adhuc circumsonarent Tuendæ religionis, servandæq; quietis ac securitatis publicæ inæstimabilis cura perpetuaq; in Utroq; fuit. Non provocarunt bella, non timuerunt: cùmq; inciderent, & fortiter & ita gesserunt, ut nunquam non pacem, vel inter medios bellorum tumultus, respicerent. Qvæ ubi non causa præliorum ac finis ponitur, ambitionis, furoris, impietatis, fraudis ac fallaciæ, instrumenta arma evadunt. A quibus verò omnibus ac singulis vitiis Electores laudatissimi fuerunt alienissimi, semper Deo, Cæsari ac subditis fideles. Adeò, ut Deo dederint, quæ Dei fuerunt, Cæsari, qvæ Cæsaris, subditis, quæ subditorum. Electores autem isti consummatissimi, qvò veteri splendore natalium, rerumq; gestarum gloriâ conspicui magis & celebrati sunt, eò plus lucis conferre possunt in ELECTOREM NOSTRUM ILLUSTRISSIMUM, Principem natura & animo regio, ut Constantinus apud Russinum salutatur. Si enim ei, cui genus contigit, ut Plutarchus inquit, non impurum & adulterinum, sed honestum & intaminatum, plurima cùm animi & corporis, tūm fortunæ suppetunt admicula, qvibus ad virtutem & gloriam, quasi gradibus qvibusdam, ascendere potest, ELECTORI NOSTRO de hoc meritò tenemur gratulari, qvòd summo loco inter illustrissimas Saxonie familias, qvæ partim olim floruerunt, partim hac ætate nostrâ rerum potiuntur, natus est, & hanc in lucem primogenitus ac Electoralis Dignitatis hæres feliciter editus. Qvamvis ad illustrissimos natales & prerogativam sangvinis ELECTORALEM divina penitus NOSTRI accesserit indoles, de qvâ & illi Ipsi & nobis iterum iterumq; gratulamur. Etenim tum maximè pollet familiæ honor, dum posteriorum mores, Majorum virtutes non tā exæqvant qvā superant. Benedictionibus parentum seniorum ultimis divinam qvandam vim esse inditam, oracula docent divina & experientia quotidiana testatur. Cùm ergò illis etiam PARENTES PISSIMUS FILIUM non absimilem in ipsa mortis hora fuerit prosecutus, id omne in IPso jure meritoq; nobis pollicemur, qvicq; in PATRE amissimus. Taceo alia Principis ornamenta, qvæ in ELECTORE NOSTRO tot ac tanta sunt, qvanta possunt esse maxima. Inter qvæ tamen vel duo præprimis videntur primas tenere. Santos intelligo & incorruptos Consultores, ac subditos fidelissimos. Sua sanè

sanè quemque natura in aliò delectat', nec nisi inter similes amicitia est.  
Quare ELECTORI NOSTRO, qvum sit Optimus, non nisi boni & sobrii in  
consilio adsunt. Subditos autem adeò habet fideles, ut, quod in suis Eber-  
hardus, Dux VVürtembergicus, mirum quantum laudabat, tutus in gremio  
cujusvis subditorum suorum dormire possit. Alphonsus, Aragoniae Rex,  
sæpius ad amicos dixisse commemoratur: Deo tribus potissimum de causis  
incessanter gratias ago, quod me rationale animal esse dederit: quod Chri-  
stianum: quodqve inter Christianos, Regem. Majores habet causas ELECTOR NOSTER CHRISTIANISSIMUS, cur de his Deo agat gratias & si-  
bimet ipsi gratuletur. Homo Christianus ac Electornatus: in aulâ Christia-  
na educatus, ex longo ac diurno CHRISTIANI PATRIS contubernio ita  
Christiano more didicit regnare, ut, quicquid decet Christianum Principem,  
facta Ipsius Christiana non tam promittant, quam exhibeant. Flavium Jovianum  
Principem, & Imperatorem fuisse Christianissimum, symbolum, quod  
cum ELECTORE NOSTRO BEATO habuit commune, testatur: Christus  
vitæ meæ scopus. Qui, Juliano Cæsare in acie extincto, Imperator militari  
favore salutatus, imperium primò abnuit: quod se gentilibus imperare  
nolle diceret. Verum militibus tandem se Christianos esse acclamanti-  
bus, imperium haut invitus suscepit: & statim gentiles tempa claudere, &  
cruenta omittere sacrificia imperavit: ac præterea congiarium à Constan-  
tino Magno institutum, quod à Juliano abrogatum fuerat, Ecclesiæ reddi-  
dit: unum scopum vitæ suæ Christum prædicans: quem propositum esse  
oporteat Reipublicæ moderatori: quò intueri, & quò cursum suum diri-  
gere debeat. Imperium Electorale, ad quod ELECTOR NOSTER CHRI-  
STIANISSIMUS non electus, sed natus est, eò majore omnium bonorum  
cum applausu ac gratulatione hubens in se suscepit, quò puriorem religionis  
Christianæ doctrinam amplectuntur, qvotqvot subditi illius humillimi  
audiunt. Nomen, Christianus, ab ipsius ferme incunabulis longè latèque  
videtur fuisse diffusum: adeò, ut Justinus, martyr ille & philosophus, stu-  
dio religionis Christianæ defendendæ, & paganis ut minimè novam com-  
mendandæ, apologiâ ad Marcum imperatorem, ipsum Socratem ex parte  
Christum agnovisse, & apologiâ ad Antonium Pium omnes philosophos  
veteres, qui secundum rectam rationem vixissent, Christianos fuisse alicubi  
dicatur adseruisse. Sitamen Patrum ille antiquissimus, & primus corum,  
quorum scripta indubitatæ fidei ad nos pervenerunt, λόγον, quam vulgo ra-  
tionem interpretantur, non appellari verbum substantiale, quod Deum  
incarnatum vel solus Evangelista Joannes ex impulsu divinô salutat. Quo  
de tamen disputandi nunc nec locus est, nec tempus. Illud certum est, nec  
ego eo inficias, Christianos jam olim fuisse dictos, quos Augustinus dealba-  
tos tantum & solo nomine Christianos appellat. Testes alibi allegavi, eun-  
dem Episcopum Hypponensem, &, qui eò fuerunt antiquiores, Cæcilium  
Cyprianum, Tertullianum, Justinum laudatum & Ignatium. Quibus, si  
esset opus, nunc possem adjungere Basilium Magnum, Gregorium Nyssen-  
num, Occumenium & Bernhardum, Viros & Christianè doctos, & sanctè  
facundos & piè festivos. Unde etiam factum, ut religionis Christianæ pur-  
purisso

purisso studuerint se colorare, qui tamen eō nomine digni non sunt censendi. Quamvis enim Christum quendam in mundum venisse agnoscant; (unde fortè Christiani nominis participes factos dixeris) præcipua tamen Christianæ fidei capita sive mysteria abnegant, nempe Deum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sibi invicem ὄμορσίς, seu, consubstantiales, & ex his Filium hominem factum pro peccatis nostris satisfecisse; atque adeò ejus passione, morte & merito justificationem nostram & spem æternæ salutis niti. Hæc quia negant, Christianam fidem & religionem planè evertunt. Neophotiniani & Sociniani hodie appellantur. Ad eos prope accedunt Anabaptistæ, in tot sectas divisi, ut distincte enumerare difficile sit. Hæc licet non nemo Theologorum, in suo desiderio & studio Concordiæ ecclesiasticæ, quod inscripsit, de spiritu Photinianorum ac Anabaptistarum Anti-Christianæ ac Muhammetico, non procul ab initio, jure meritoqve adserat, Christiani tamen naturam non rectè attendit, cùm de Pontificiis ac Calvinianis, seu, Reformatis subjicit, eos à Lutheranis pro Christianis, Dei filiis, fratribus ac cohæredibus æternæ vitæ esse habendos, mutuaqve benevolentia ac charitate excipiendos, quamlibet Christiano debet Christianus. Quod etiam idem Theologus repetivit in Consideratione & Epicrisi, quam ad Colloquium Thoruniense edidit. Sanè utrosqve, Pontificios scilicet & Reformatos, de nomine Christiano gloriari, negandum non est. Quare Pontificii non tantum appellantur Christiani, sed etiam Christianus populus, secundum sacrosanctum & Christianum Concilium Tridentinum, quod dicunt. Quemadmodum doctrina eorundem etiam indigitatur Christiana, fides Christiana, veritas Christiana, professio Christiana, religio Christiana. Loca, ubi augustissimi illi tituli leguntur, sunt plurima, quæ, nimis esset longum, si vellemus adducere. Sicuti autem Pontificii, ita qui Johannis Calvini doctrinam seqvuntur, seu, ut se vocant, Reformati splendidissimo Christianorum encomio delectantur. Quod notius est, quām ut indigeat probatione. Sufficit nunc saltem meminisse Confessionum fidei Calvinianæ, quæ unō volumine comprehensæ non semel testantur, Reformatorum articulos esse Christianæ fidei & religionis dogmata, eos ipsos autem esse ab hæresium sectarum ve communione quām alienissimos ac verè Christianos. Quibus tamen nihil aliud nunc possemus opponere, quām quod Augustinus jam olim respondit. Plurimi nempe nominantur Christiani, & non inveniuntur in rebus, quia hoc, quod vocantur, non sunt, id est, in vita, in moribus, in fide & spe & charitate. Si quis verò cupiat utrosque in laco significatu eo nomine exoptato, quod Ignatius appellat, cohonestari, nullam ei movebitus litem. Quamvis nec refragemur, & Pontificios & Calvinianos, titulo isto nuncupandos, quo ad nonnulla dogmata Christiana, quæ nobiscum Lutheranis fatentur communia, si non omni ex parte integra ac illibata. Quo sensu divinus Lutherus in Papatu ipsum esse Christianismum concessit, nec, Antichristum ecclesiasticum esse Christianum, Theologi orthodoxi ex hac ipsa cathedra iverunt negatum. Quod si verò utrosqve, quæ tales, intueamur, nec possumus, nec debemus titulum hunc illustrissimum eis largiri. De sensu proprio ac genuino

nuino vocabuli εγγεάθ, seu, in Scripturis divinis contenti, non nisi ex  
sede propriâ, ubi de eo ex professo agitur, esse judicandum, nemo Ortho-  
doxum negabit. Sive autem nominis illius controversinatales con-  
sideremus, sive Actorum librum & priorem Petri Epistolam, in quibus solis  
legitur, penitus evolvamus, singula nos docent, divinus & magis Christianum  
id esse nomen, quam ut eis jure queat accommodari, qui Christum,  
& quicquid ab eo dependet, non curant. Non meum, sed ipsius Lutheri  
hoc fuit judicium, reliquorum orthodoxorum Theologorum, qui Articu-  
lis Smalcaldicis subscripsierunt, calculo approbatum. Quod, nisi instituti  
mei ratio vetaret, ex ipsorum fidei Christianæ articulorum collatione plu-  
ribus possem ostendere. Papismus, si rem compendiò liceat dicere, varia-  
rum in doctrina Christiana corruptelarum, & omnigenæ idololatriæ, du-  
bitationis in anxietatibus, nec non monstrosæ tam in spiritualibus, quam  
temporalibus dominationis est officina. Et variæ istæ, quas dixi, corrupte-  
læ sunt de verbo Dei revelato, Christo, ejusq; persona & officio, sacramen-  
tis item ab ipso in novo Testamento institutis: Statibus hominis quatuor  
& actibus, quibus ille ad salutem adducitur, regeneratione, justificatione,  
sanctificatione, poenitentia & salvatione: quibus errores de Ecclesia, Ma-  
gistratu Politico & Conjugio Clericorum quoque possunt adjungi. Cal-  
vinistas autem quod spectat, errores eorum præcipui versantur circa do-  
ctrinam Christianam de universali Dei benevolentia, universalitate meriti  
Christi, absoluta prædestinatione & reprobatione, consequentibus unio-  
nem duarum naturarum in Jesu Christo personalem, subiecto, ut quo, ad-  
orationis Christianæ & cultus, intrinseca item, ordinaria, &, quoad indo-  
lem suam, æquali erga omnes utentes efficacia verbi & sacramentorum, re-  
in Cœna dominica coelesti, ejusque ad omnes communicantes extensione,  
modo conversionis irresistibili, & gratia divina, quæ semel accepta amitti  
non possit. Quem nunc, Auditores, Christianismum auditis? nul-  
lum profectò, cum uterque Spiritus Pontificiorum ac Calvinianorum  
aperto, quod dicitur, capite plurima fidei Christianæ capita eant inficias.  
Ac ut reliqua nunc taceam, considerandum nunc propono solum funda-  
mentum fidei Christianæ substantiale ac specialissimum, quod est doctrina  
de persona & officio Jesu Christi salvifica. Fundamentum aliud, scribit di-  
vinus Paulus, nemo potest ponere præter hoc, quod positum est, quod est  
Jesus Christus. Et iterum: Jam igitur non estis hospites incolæ, sed con-  
cives Sanctorum & domestici Dei: superstructi super fundamentum  
Apostolorum ac Prophetarum, summo angulari lapide ipso Jesu Chri-  
sto. Ubi expressè dogma de persona & officio Jesu Christi dicitur fun-  
damentum specialissimum, seu, lapis angularis, in fundamento illo u-  
niversali, seu, doctrina Prophetarum & Apostolorum divinissima. In  
quod verò dogma fidei Christianæ primarium Pontificii & Calviniani  
mirum quantum impingunt. Utrosque docere, tantum personam divi-  
nam, non naturam ipsam, humanæ naturæ Christi assumtæ, fuisse com-

B

munica.

municatam, certum est, & nobis etiam silentibus, Georgius Sohnii,  
Lambertus Danæus, Daniel Chamier & Robertus Bellarminus attestantur.  
Nec in hoc solum punto Pontificiorum & Calvinianorum una mens est &  
sententia; sed in eo quoque inter se conspirant, quô naturæ humanæ as-  
sumtæ divina majestas, hoc est, omniscientia, omnipotentia, vis vivificandi  
& edendi miracula, potestasq; remittendi peccata & faciendi judicium,  
ac omnipræsentia tandem denegatur: id quod vel ex solis prædictis auto-  
ribus ad oculum posset ostendi, nisi de eo nemo moveret dubium. Cui  
etiam demonstrando diutius non immorabor, sed potius tribus verbis deli-  
neabo, quomodo Papistæ officium Jesu Christi labefactent. Prophetici  
equidem muneris functionem, quam Propheta ille magnus amplissimè &  
ad miraculum usque explebat, constituendæ religioni, & fundandæ Eccle-  
siæ Christianæ imparem faciunt, nisi additamentis suarum traditionum  
confirmetur. Nec unicum eundem agnoscunt Sacerdotem, sed vicarium  
eius faciunt missificem, & in satisfactionis societatem secundarios, ut vo-  
cant, mediatores admittunt. Unde nontantum eunt inficias, Sacerdotis  
illius summi satisfactionem esse totalem atque integrum; verùm interces-  
sores etiam secundarios eidem associant, qui & merito nobis suffragante, &  
affectu, quo vota nostra cupiunt impleri, interpellant. Quod si verò offi-  
cium regium perpendamus, id quoque mirum quantum elevant. Etenim  
Ecclesiæ in terris militantis credunt & docent visibile quoddam esse caput,  
idque ipsum esse Romanum Pontificem maximum, quem appellant. De  
angelis & sanctis demortuis, quos, ne quid superstitioni desit, partitis inter  
se operis, in diversas distribuunt præfecturas, nunc non vacat dicere. Sola  
Deipara, Maria, nunc in scenam prodeat, quam reginam & dominam  
cœli jam olim appellarunt, & hodieque eandem devenerantur. Nec  
hæc Pontificiis affingimus, sed ex scriptis eorum Symbolicis, præprimis au-  
tem Concilii Tridentini canonibus excerpimus. Quomodo etiam non  
privata, sed publica Calvinianorum scripta producimus, in quibus con-  
tentur, meritum Jesu Christi sufficientissimum, ex divina intentione cuvis  
homini, etiam irregenito & penitus malo, nec posse nec debere accommo-  
dari. Christus, sonat articulus I. Confessionis Helveticæ, passione sua re-  
conciliavit omnibus fidelibus Patrem cœlestem & peccata expiavit. Quam  
Confessionem præ reliquis volui allegare, cùm Reformati, quod ego qui-  
dem scio, in Anglia, Scotia, Gallia, Hollandia, Polonia, Hungaria, & Ger-  
mania eam, ut librum Symbolicum, approbarint. Unde etiam primas  
tenet in Corpore & Syntagmate Confessionum fidei, quæ in diversis regnis  
& nationibus, Ecclesiarum Calvinianarum nomine fuerunt authenticè edi-  
tæ, in celeberrimiis Conventibus exhibitæ, publicaq; autoritate comproba-  
tæ, & non ita pridem nobiscum iterum communicatæ. Quantum ex An-  
tiquitate ecclesiastica mihi hactenus licuit observare, illi soli primùm admi-  
serunt se Christianos appellari, qui postea Orthodoxi fuerunt dicti. Nul-  
lam aliam ob causam, quam quod revera Christiani non essent, qui tales  
salutarentur. Qua de causa alibi Patres adduximus vetustiores, qui Chri-  
stia-

stianos & Orthodoxos inter se & quandos esse censuerunt, dixeruntque, Cyprianum secuti, hoc ipsum, quod Christiani sumus, fidei & spei rem esse. Unde, qui puræ & invariatae Confessioni Augustanæ sunt addicti, dicuntur Christianam doctrinam profiteri. Nata inde quoque est, Christiana fides, Christiana doctrina, Christiana confessio, Christiana concordia, Christiana Ecclesia, & quæ sunt alia id genus nomina, quæ mentem nostram & confirmant & illustrant. Guilielmus Estius, Doctor Pontificius & in Academia Duacena Professor ac Cancellarius, alicubi commentatur, nomine Christiano, vel solis Tertulliano, Cypriano, Athanasio & Augustino, testibus, indignos fuisse hæreticos vetustiores. Quorum tamen hæresin si cum erroribus Papisticis conferamus, hos eam non tam exequare, quam superare deprehendimus. Judice ergo ipso interprete Pontificio, quicunque curiae Romanæ extollendæ navant operam, erunt hæretici, nec digni, quos nomine Christiano indigitemus. Sicuti cum Athanasio, felicissimo illo Christianæ fidei propugnatore, ipsi etiam Imperatores Christiani scapham appellarunt scapham, hæreticosque ac Antichristos vetustiores ab autoribus denominarunt, ut à Nestorio Nestorianos, à Marcione Marcionitas, ab Ario Arianos, à Manete Manichæos, nec dignos eos habuerunt, quos nomine Christiano salutarent, ita jure optimo Calviniani dicuntur, qui ad Joannis Calvini doctrinam se patiuntur adstringi, quemadmodum Pontificii, quotquot ad mandatum Romani Pontificis Maximi, ut se vocat, credunt. Neminem latet peritorum, Reges Galliarum Christianissimos fuisse dictos, & hodieque salutari, quamvis encomii illius causa non omnibus sit nota. Nec ignorant, quicunque acta Romani Imperii publica vel primis labris degustarunt, Imperatores ejusdem Christianissimos fuisse appellatos, ut ab Imperatoribus Muhammeticis, & à fide Christianâ alienissimis discriminarentur. Non ignari, Cæsares Caroli Magni, cuius sepulchrum titulo Christianissimi quoque fuit condecoratum, esse successores, & in hoc divinitus præfectos, ut non imperarent in Christianorum animos, sed contra quosvis insultus externos eosdem defendarent. Et licet Imperatores omni encomio superiores speculationibus Papisticis quandoque adhæserint, attamen, ubi ad rem gerendam venerunt, præsertim quando magnum & ultimum illud certamen imminuit, ibi demum ex arte & disciplina egerunt, & quantum in Christianâ religione profecerint, reapse ostenderunt. Quod, vel nobis tacentibus, Carolus V. Ferdinandus I. & Maximilianus II. Imperatores ob fidem in Christum posteritati commendandi, possent testari, si essent, qui assensum suum sufflaminarent. Nec defuerunt ex Regibus Galliæ, qui sub extremo agone constituti, nec monachos nec confessionarios admittere voluerunt, sed omni spe salutis collocata in solo merito Jesu Christi placidè obdormirent; quod de Alenconio, regis Galliæ filio & Duce Brabantæ novo, Annales Belgici loqvuntur. Si nobis nunc esset titulus eligendus, quô præ reliquis Septem Principibus, ELECTORES SAXONIÆ deberemus coherestare, veriorem & splendidiorem vix possemus invenire, quam de quo

nunc verba fecimus. Puritas religionis Christianæ terras Saxonæ Electorales ita illustravit, ut nullus populus, nulla gens Electoralis cum illis contendenda esse videatur. Electores Saxonæ in id semper laborarunt, ut non gentilitio, sed suo proprio jure Christianissimi dicerentur. Fuerunt, ut uno dicam verbo, Principes Christianissimi, qualis Valentinianus Major, qui in Joviniani demortui locum suffectus erat, in vita Ambrosii appellatur. Nec alios se exhibuerunt Augustus, Christianus II. & Johannes Georgius I. quos vivos, imago corundem absolutissima, ELECTOR NOSTER HODIERNUS, representat. Nomen CHRISTIANI PRINCIPIS, communii piorum consensu, adeò meruerunt, ut id mandârint præfigi edictis publicis, quibus vel Constitutiones ecclesiasticas, Doctoribus & Pastoribus injunxerunt, vel libros symbolicos, & ex eis conscriptum compendium Theologicum, opus verè Christianum, posteritati curârunt commendari, vel solennes festivitates, ad laudes Deo pro luce Evangelii accensâ, Augustanâ Confessione exhibita, & pacificatione Passaviensi confirmata, redendas subditis suis universis indixerunt, atque præscripserunt. Quis agitando, nedum dicendo consequi potest, quâm beata res sit sub bono & salutari Principe vivere, qui & gloriam Dei, & puritatem religionis Christianæ, & salutem Reipublicæ querat, augeat, conservet? Dona sunt hæc, &, ut ex Scripturâ Lutherus, felicissimus dignitatis Magistralis vindex & assertor, loquitur, benedictiones Dei opulentissimæ. Dona hæc sunt, Auditores, benedictiones hæc Dei opulentissimæ, de quibus in præsenti non tam ELECTORI SERENISSIMO, quâm nobiliter ipsi gratulamur. Ita enim se ELECTOR comparat, ut nunquam dignitatem aliquam videatur consecutus, etiam amplissimam, quin majore semper & ampliore dignus habeatur. Quærerit gloriam Dei, auget religionem Christianam, conservat Reipublicæ salutem. Dignum hoc Principe Germano, dignum Duce Saxonico, dignum Electore Optimo Maximo. Nihil majus, nihil salubrius, nihil divinius illi, qui potestatem habent divinæ proximam, possunt promittere & præstare, & ab eis subditi debent exigere. Placet nobis, quod Deo placet, synbolum jam olim fuit SERENISSIMI NOSTRI illustrissimum ac verè heroicum. Placet ELECTOR Deo, &, quia Deo, etiam omnibus, qui divinam venerantur voluntatem. Placeat in posterum subditis clementiâ, quæ, Senecæ verbis, in quamcumque domum pervenerit, eam felicem & tranquillam parabit. Bonus namque Princeps nihil differt à patre erga liberos clemente, nihil à pastore adversus oves benigno. Placeat Consiliariis & omnibus qui ab ipsis sunt latere, prudentia, quam in Salomone, Regum sapientissimo, emeriti Davidis ministri fuerunt admirati. Qui enim imperat, inquit Chrysostomus, propterea potissimum imperare debet, quod in virtute reliquos superat. Si verò superatur, jam non est imperator. Placeat, inquam, Deo pietate, quam in Theodosio historiarum monumenta mirum quantum laudarunt. Sit alter JOHANNES GEORGIUS erga Urbem hanc ac Universitatem, quam benignitate suâ amplectatur, & in

qui-

quibus collapsa' est, munificentissimè restauret ac conservet. Populis non tantum & salutarem tutelam præstet, sed eruditarum etiam artium præsidium unicum agat & literarum. Constantinus, teste Ruffino, Imperator ille supra omnem laudem positus, Paphnutium, episcopum ex Aegypti partibus confessorem, in tantâ veneratione & affectu habuit, ut sæpius eum intra palatium evocatum complectetur, & illum oculum, qui in confessione fidei fuerat evulsus, avidioribus osculis demulceret. Talem habeat affectum ELECTORUM CHRISTIANISSIMUS erga confessores Christianos, & doctores eorundem orthodoxos ac indefessos. Ita fiet, ut quas nos nunc regulas ex libris petimus, in posterum ex PRINCIPIIS CONSUMATI actionibus, tanquam ex perfectissimo exemplari, petantur. Maximam subditorum erga Superiores reverentiam precibus absolvi calidissimis, præter Codicem divinum, plurima antiquitatis ecclesiasticæ exempla evincunt. Orate pro Regibus & Potestatibus & Principibus, admonuit jam suô tempore Philippenses Divus Polycarpus, martyr, Smyrneorum Episcopus, & discipulus Johannis evangelistæ, in epistolâ, quam ad eos scripsit. Deo nostro pro salute ELECTORIS, pro Republica, pro nobis met ipsis supplicemus, ut omnibus ubique locis status Reipublicæ retineatur sanus, & securè in laribus nostris vivere valeamus. Non aliter ac Christiani olim, ad mandatum Maximini Imperatoris, preces istas devotas effuderunt. Deus Trinunus cùm aliis bonis omnibus, tūm hāc etiam laude cumulet ELECTOREM, ut sit tutor Christianorum, quem Constantinus laudat Eusebius. REGNET JOHANNES GEORGIUS SECUNDUS, PRÆOPTATUM PATRIÆ BONUM! longum regnet! benè regnet! Christianè regnet! nostrum votum Christianum, nostra gratulatio Christiana.

D I X I.



AD  
PANEGYRIN  
IN  
HONOREM  
*POTENTISSIMI PRINCIPIS*  
*ET DOMINI*  
DOMINI  
**JOHANNIS GEORGII**  
SECUNDI,  
DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ,  
CLIVIÆ ET MONTIUM, SACRI ROMANI  
IMPERII ARCHIMARSCHALLI ET ELECTORIS,  
LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ,  
NEC NON UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAVII MAGDE-  
BURGENSIS, COMITIS IN MARCA ET RAVENSBURGO,  
DOMINI IN RAVENSTEIN,  
DOMINI NOSTRI BENIGNISSIMI,  
OB  
SUMMUM VEREQUE SINGULARISSIMUM  
**ELECTORATUS SAXONICI**  
ORNAMENTUM,  
RELIGIONEM NEMPE CHRISTIANAM, ILLAMQUE  
INTÉGRAM AC ILLIBATAM,  
DIE QVINTO FEBR. ANNI, QVEM NON ITA PRIDEM INGRESSI  
SUMUS, M DC LVII. HORA AB IIХ. MATUTINA, IN AUDI-  
TORIO COLLEGII PRINCIPUM MAJORIS  
INFERIORE,  
**ORATIONE GRATULATORIA**  
CELEBRANDAM,  
PROGRAMMA  
FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA  
LIPSIENS.

**D**IES HODIERNUS, QVI MENSIS FEBRUARII EST quartus, dispares potest miscere affectus, & largam mœrendi pariter atque gaudendi suppeditare materiam. Nemo tam durus ac ferreus est, qui siccis oculis, & sine quodam mœroris sensu exequias, quas hodieque PATRI PATRIÆ SENIORI OPTIMO MAXIMO imus frequentes atque prolixas, hoc est, quas meruit, intueatur. Non Electorem sibi, sed salutem erectam putant, quotquot hodierna luce acerbissimo luctu doloreque confunduntur. Flent omnes, flent ignoti, flent & timentes, flent & invitati, flent & barbari, flent & qui videbantur inimici. Communis iste fletus non tantum obitum Valentiniani Imperatoris luctuosissimum sequebatur, sed diem etiam complet presentem. Omnes enim non tanquam Principem sibi, sed parentem publicum obiisse doméstico fletu doloris illachrymant, suaque omnes funera dolent. Quem tamen omnium haut penitus malorum mœrorum nunc pluribus non exulcerabimus. Luculentam ille ac copiosam requirit orationem, quam extendi vetat ratio proloquii. Neque verò hæc mœroris fomenta in praesenti ignota sunt ac latentia, sed totius universitatis oculis cognoscuntur, ore laudantur. Quapropter illa nobis non assumimus fusus explicanda. Dubium nullum est, diem hunc eod majus vulnus omnibus bonis influisse, quo illustriores fuerunt virtutes, cuius exequias ab ipsa pietate jussi fuimus frequenti comitatu decenter prosequi. Splendidissima ELECTORUM SAXONICORUM encomia tabulis publicis ita fuisse inserta, ut nec refigi possint, neque obliterari, imperitissimum rerum esse oportet, qui nesciat. Ut mittamus ea, quæ vetustiora sunt, neque Fridericum bellicosum, Fridericum placidum, Ernestum religiosum, Fridericum sapientem, Johannem constantem, & Johannem Fridericum magnanimum, omnes & singulos Saxonie Electores fulgentissimos, deprædicemus, quicquid in Principe optimo quisquam devote admirari ac venerari posset, id omne successores eorundem laudatissimi possederunt ac tenuerunt. Magnus fuit Mauritius: Augustus pius: Christianus primus, prudens: & alter ejusdem nominis, liberalis. Electores magna apud omnes auctoritatis & digni, ex quorum sanguinibus JOHANNES GEORGIUS, PRIMUS, nascetur. Aut fallit nos amor Principis, aut iisdem elogiis hodie cohonestari NUTRITIUS NOSTER DESIDERATISSIMUS meretur: usque adeò & virtutum heroicarum copia, & pietatis opibus præstabat alius & excellebat, ut Majorum suorum gloriam videretur non tam æquare, quam superare. Adeò in Eo & magnanimitatem Mauritii, & pietatem Augusti, & prudentiam Christianorum atque liberalitatem licebat mirari. Tacemus nunc ceteras animi illustrissimi dotes, quæ ipsis adversariis etiam, quæ maxima gloria, fuere saepius admirationi. Fuit certè, ipsa invidiâ papisticâ quoque teste, princeps patriæ amansissimus, justitiæque studiosissimus, verè Israelita, in quô dolus non est. Sicuti verò non raro lachrymas sequuntur vota, nec in cunctis tenore servat fortuna, ita hæc ipsa dies tam uberem gaudendi copiam nobiscum communicat, quamatra, quam funesta & luctuosa nobis existit. Pii Patris soboles bona eos jam olim, referente Ambrosio, omni faustissimo erigebat, qui super morte Theodosii Imperatoris acerbissimâ dolebant. Fortia quiaem, &, ut verius dicamus, Christiana suppetunt solatia, quæ animos gravi mœrore ob obitum PII PATRIS ad terram usque dejectos queant levare; inter ea tamen SOBOLES BONA vel prima videtur numeranda. Idque hoc magis, quo perfectius exprimit dotes ac virtutes divinas, quas in INCOMPARABILI PARENTE amisimus. Et licet illæ plures fuerint, una tamen in eo ita enituit, ut illam velut propriam sibi vendicaret. Studium pacis intelligimus, quod tam impensè coluit, quam verè PACIFICI appellatione JOHANNES GEORGIUS PRIMUS, vel inter concitatisimos bellorum tumultus, se notum omnibus ac venerabilem reddidit. In pace ille fuit natus: in pace educatus: in pace principatum suum auspicatus, & in pace illum finivit. Nec dubium est ultum, quin eundem animum pacificum JOHANNES GEORGIUS SECUNDUS ipso cum sanguine a PARENTE PACIFICO statim hauserit, & exemplo illius hæc tenus ita obfirmaverit, ut jam ubique PACIFICI nomine non minus quam JOHANNES GEORGII SECUNDI salutandus sit. Speciosi Romanis Ducibus videbantur ex Cretâ, Numidia, Africa, Asia, aliisq; devictis gentibus tituli. At multò nomen PACIFICI illustrius, quo significatur nullius populi, nullius hominis, sed ejus, quod ei sicutum est, & hostis ubiq; & victor semper.

Magnum

FK 4899

Magnum putarunt Aegyptii Reges, si patris hic, matris ille, fratrum amans aliis dicetur. Quae tamen encomia axioma, PACIFICI, vix exhauriunt, quod non ista tantum, sed quicquid exoptatum excogitari potest, ambitu suo complectitur. Dulcissimum enim Pacis nomen, quo, Tullii verbis, non tantum ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta, atque agri letari videntur. Quae etiam de causâ, apud Ebraeos, Pax à perfectitudine jure meritoque appellatur. Cùm Carolus Magnus Imperator crearetur, non absque ingenti animæ letitiâ ter acclamavit populus universus: Carolo Augusto à Deo Coronato, Magno & Pacifico Romanorum Imperatori, vita & victoria. Non aliâ, quam acclamatione illâ devotissimâ ELECTOREM AC DOMINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM, sub auspiciis novi principatus, omnes nos ac singulos decet venerari. JOHANNI GEORGIO, SECUNDO, AUGUSTO A DEO PRINCIPI, MAGNO ET PACIFICO SAXONIAE ELECTORI VITA ET VICTORIA. Vivat JOHANNES GEORGIUS SECUNDUS! Vivat AUGUSTUS! Vivat PACIFICUS! Vivat VICTORIOSUS! Quæ ipsa licet sint maxima, plus tamen aliquanto à MAGNO NOSTRO ELECTORE expectare audent Christianorum populi: ut scilicet puritas religionis Christianæ sarta tectaque conservetur, dicatque nostra ætas se non formidare arbitrium ejus ætatis, quam verâ sincerâque fide Christianam fuisse, Christiani omnes profitemur. Hæc enim vel sola in tantum Electoralem Dignitatem Saxoniam auxit, quanta potest esse maxima. Ornamentum ea est Electoratus Saxonici sumnum ac verè singularissimum. Quô de cùm Reverendus plurimum ac Excellentissimus Vir, D. Daniel Heinrici, Professor Theologiæ publicus, ejusdemque Collegii hoc tempore Decanus, Collega noster honorandus, in animum induxit craftinô die finitis precibus matutinis, in auditorio Collegii Principum majoris inferiore panegyricam habere Orationem, eâ de re dicturus est, quâ devotionem erga Deum & reverentiam adversus Electorem ostenderet singularem ac dignam, quam omni favoris ac amicitiae genere prosequamini. Religio namque Christiana, eaque integra & illibata, summum ac maximum mortalium est bonum, cui reliqua omnia postponenda sunt. Non ergo dubitamus, quin Rector Magnificus, Consules Amplissimi, Proceres utriusque Reipublicæ honoratissimi, ac Cives Academiæ universi ad præstitutum tempus, eō, quem diximus loco, frequentes sint comparituri. In sacraario autem Templi Nicolaitani primùm ut conveniatis, rogamus & monemus. Quiequid nunc indicimus, tempus præsens postulat, Elector jubet, & sua cuique pietas & salus præcipit. P. P. Lipsia die IV. Februarii, anno Epochæ Christianorum  
 M DC LVII.



HC



ULB Halle

004 807 863



3

VD17



Vc  
4899

PANEGYRICUS,

SERENISSIMO POTENTISSIMO QVE PRINCIPI  
*AC DOMINO*  
DOMINO

JOHANNES

SEBASTIANUS

DUCIS

CLIVIAE ET M

IMPERII ARC

LANDGRAVIO

NEC NON UTR

BURGENSI,

DOMINUS

NOV  
SUMMUM

ELECTOR

RELIGIONEM  
INTE

AN

DIE LOC

DANIEL  
EJUSDEM

Typis 8

M DC LVII.

